

modo de-
beat esse
compara-
ta?

Peripatica
disciplina
reliquis po-
tior visa
est, ad cuius
principia
& metho-
dum cæte-
rarum do-
gmata exi-
gerentur.

catis partitionibus implicetur, nec congestis mo-
nitis obruatur, nec nimis digressionibus distraha-
tur, sed ut observans mediocritatis & delectet simul,
& flectat, faciatque non altercantem sophistam, sed
studiose operantem philosophum, cujus scopus sit
emendatio vitæ, & affectuum inordinatorum mo-
deratio. Qua quidem in re cum nimium vagentur
Platonici, lasciviant Epicurei, Stoici autem fingant
distinctiones non necessarias, quæ in verbis potius,
quam rebus consistunt, Peripatetica disciplina potior
visa est sagacioribus, ad cuius principia & metho-
dum cæterarum dogmata exigerentur. Audiamus
hac de re nervose differentem, nostramque senten-
tiam confirmantem magni nominis & iudicii virum
Joach. Camerarium: Peripatetica disciplina, inquit
in Proleg. in Offic. Cic. humanissima fuit, quæ ad
captum ingenii humani dignitatis ac virtutis præ-
cepta accommodavit, neque veluti optando quid
maxime quisque velle deberet, collegit, sed quid
consequi etiam posset, circumspexit. Stoici, ut ait
Cicero, fines officiorum paulo longius, quam na-
tura vellet, protulere, ut cum ad ultimum animo
contendissemus, ibi tamen, ubi oporteret, consiste-
remus. Itaque hi priora, præclara & luculenta
opera elimando videntur corrupisse: Acedemici
cum Peripateticis sententia & dogmatis conjun-
cti earundem rerum diversa quodammodo expli-
catione usi fuerunt, ut aliter de aliis utriusque loque-
rentur. Epicurei vero, quasi abortivum philoso-
phiæ genus, gravitatem hujus plane reliquerunt,
& ad